LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Qualis sit legislator idoneus.

Quam orationem

solenni die V. Cal. Febr. habitam

in annuum programma transtulit

C. A. Vogelsang,

Gymnasii Conrector.

Ex officina Stuccartiana.
Suidnitii, MDCCCXXVIII.

— plectuntur Achivi. Hor. epist. I. 2. 14.

Viri amplissimi. Jam pridem in armario auditorii classis secundae, antequam huic ordinandae praeessem, quum forte oculos ad supellectilem ibi repositam, vel ad libros adjicerem, leges quasdam conspicabar, easque non paucas, ab ipsis discipulis scriptas et intus affixas, singulisque titulis mulctam additam, tam longa poenarum serie paginam implente, ut conjectare fas esset, totum id juris corpus adeo non sustentandae disciplinae, quam pecuniae exigendae causa fuisse inventum, quae et revera, haud satis scio, quem in finem, sed ad geniales usus, studiose congerebatur. Scilicet videtis in hoc nunc meo grege, quot singula capita, tot legum latores. Fidem superare mea verba videntur. Verum quum, mox occasione data, mentionem ejus rei facerem, dicens, profecto aerarium classi peculiare inde vel mirum in modum augeri debere, praesertim quod multos cernerem, eosque alias praestantiores, in summa incuria atque licentia versantes, quasi essent locupletissimi; edocuerunt me horum nonnulli: illud haud esse permagnum, seque ipsos, dum quantum par esset, affluueret, istis vinculis non teneri, quippe qui ad se vel sponte coërcendos jam sufficientes, adulta tandem et satis firma propago, carere posse dicerentur adminiculis. Novitios solum, nutantes adhuc, obstringi, exemtis tamen iis, quibus inter primores essent patroni, ipsorum causam in se suscipientes. Itaque primores, impunitatem sibi vindicantes, novitiis jura dabant, aequo animo imperium tolerantibus, quod ipsi mox aliis erant hoc jugum imposituri, et suo quisque tempore exactores nummorum, iidemque legumlatores evasuri. Mirabar. Sed rem praetermisi. Id tantum severe monui, ne quis cujusquam, me docendi vicibus fungente commissa clam pecunia multaret. Praeterea, si me audirent, regulas praescribere commilitonibus desisterent, quibus corporis valetudo in discrimen vocaretur. Ab ulterius progrediendo rationes, tam omnibus notae, quam nostra omnium gratia reticendae, me detinebant, quum certe meum non esset, nec medicinae mihi fiducia. Sed eo officio nuper a Vobis mihi man-

dato, quum primum hanc classem denuo ordinandam sum ingressus, e vestigio discipulis pronuntiavi: ipsorum leges cunctas esse abrogandas; album armario refigerent, neu quidquam amplius promulgarent. Attamen paullo post, re accuratius perpensa, prorsus hoc studium illis eripere dubitabam, non quod verebar, ne legum penuria status rerum labaret, sed quod quascunque ingenii facultates excolere, quam opprimere, satius esse videbatur. Quare consilio mutato, rogationes ferendi potestatem iis reliqui, sanciendi vero eas jus, et decernendi reorum causas arbitrium ademi. Restabat, ut eos docerem, quomodo ad hujus artis tirocinium rite se accingerent. Sed aliis districtus negotiis, illud in commodum tempus distuli. Igitur pace Vestra primae hujus orationis meae argumentum inde repetam, ac demonstrabo, qualis sit legislator idoneus. In qua materia disponenda ita versabor, ut simpliciter pro unaquaque agendi formula utens vocabulo legis, sive mente tantum cogitata, sive lata, sive perlata sit, conversus ad meos familiares, ostendam, legislatorem esse debere integrum, justum, publicae utilitatis studiosum, atque sapientem.

Qualis sit legislator idoneus.

Carissimi legumlatores. Adhuc fortasse vobis, non ignorantibus, ad ceteras artes recte tractandas praevia quadam disciplina maturisque viribus opus esse, ne in mentem quidem venit, ad hanc etiam, quam ipsi profitemini, ut prospere succedat, permulta requiri, vel adeo maxima. Quae ut sciatis, nec inauspicato tantum opus aggrediamini, iam animum attendite.

Integritatem vitae requiro a legislatore, non quam quis simulat, sed veram, non quae ambitiosa sanctitatis specie et se et aliorum oculos fallere molitur, sed re expertis probatam. Sincerus, humanus, temperatus, honestus, cuiusvis culpae expers, nulla vitiorum labe contaminatus esse debet, qui aliis normam vivendi proponere conatur. A teneris, necesse est, maximam suis moribus corrigendis operam adhibuerit, atque perrexerit, et sine ulla remissione perseveraverit. Tantae religionis accepimus Numam Sabinum fuisse. Cuius fama, per universum Latium divulgata, Romanos adduxit ad illum Curibus arcessendum, ut eam morum regulam, qua ipse utebatur, secum communicaret. Tota enim eius vita per se lex erat sanctissima. Haec vobis quoque innocentia, morumque puritas artis suscipiendae erit principium. At vero nimis magna postulo, meque hanc artem docere simulans, ab ea potius deterreo, exaggerandis difficultatibus. Omnes enim mendosi sumus, et in quo nihil

Integer.

reprehendas, aegre invenias. Nonne igitur eo magis ipsos, tollere vitia humana gestientes, intendere vires oportet, neque putare, vos post breve temporis spatium jam ad summum perfectionis gradum, quem nulli mortalium attingere fas est, evectos esse, quum nisi ad meliora usque pergitis, ad deteriora relabi, et aut incrementa capere, aut detrimentum pati cogamini? Nec tamen quidquam ad hanc futuri legislatoris disciplinam ultra, quam hominis est, exposco. Immo nemini, ubi nonnunquam severius, vel acrius in vos animadverto, credendum est, me minus bene de vobis sperare, aut parum gratos intueri animos, aliquando mihi superstites, meque hanc ipsam acerbitatem non vituperare, aut deponere nolle, vobis promto ad audiendum ingenio me adjuvantibus. Age porro, unusquisque nostrum quotidie sponte se castiget, quo cuncti ad meliorem frugem vere perveniamus. Praeibo, si me sequi non recusatis. Omnino enim ego vobis exemplo esse debeo, nec ulla nos aetas vindicat a nosmet emendandi necessitate.

Sed et justum esse, legislatoris est; esse incorruptum, atque constanti voluntate praeditum, ut suum cuique tribuatur, vel magno, ubi aliter fieri non potest, ipsius damno. Iniquorum hominum legibus cujusvis populi jura pessime nituntur, quia injustus auctor vel pro ingenio suo pravas componere solet, et verborum ambiguitate de industria implicatas, longisque ambagibus circumscriptas, nec non inter se contrarias, ut idem judici arbitrium, ac si nulla lex sit, relinquatur, vel nonnisi inferiores vexat, vel certe earum imperio ipse se suosque subducit. Boni contra legumlatores et ad parendum ipsorum praeceptis promti semper fuerunt, in se ipsos, quam in alios, severiores. Nam non solum, quod cujusque erat, summa fide concesserunt, ut Lycurgus, qui Spartanorum regnum, defuncto fratre sibi oblatum, accipere recusavit, filioque ejus posthumo usque ad maturos annos et vitam et haereditatem debitam legitimamque servavit; sed etiam extrema pati, quam legibus non obsecundare maluerunt. Charondas, quum a latronibus persequendis forte in Rheginorum concionem imprudens cum gladio venisset, id quod mortis poena proposita fieri vetuerat, eodem ferro ipse se interfecit. Zaleucus Locrensis, quum sanxisset lege, ut adulteri coecarentur, ne ipsius quidem filio pepercit deprehenso. Ne tamen omnino oculis careret anima suavissima, unum illi, alterum sibi erui jussit, populo frustra deprecante. At ego ardua vobis exempla propono, neque vos unquam reorum oculos, nedum capita expetiistis. Immo vero nummos Bohemicos, seu sestertios imperiales, nec nisi a commilitonibus recentibus, aegre initiatis, et clientela vestra desti- Justus.

tutis, vel orbatis, indictaque causa damnandis, propter officia omissa, quae hic singulatim recensere, et longum est et pudet, quaeque vos, illi quidem perfecti, omnibusque numeris absoluti, ipsi neglexistis, quippe quia jam ejusmodi nugarum eratis immunes. Ingeniose enim idem Zaleucus leges vestras cum aranearum textis comparavit: in quae quum incidit vel musca, vel culex, capitur; sin vespa, vel apis, perrumpit. At vos non in aeternum texuistis, nec tantorum virorum partes vobis deposcitis, nec tirocinio famae celebritatem quaeritis, meque justum decet esse priorem. Concedo, manus do. Illorum auctoritas orbem terrarum implevit, vestra in armarii latebras se abscondidit; illorum constituta per saecula durarunt, vestrae araneae tam cito, quam nummi, hoc lepido artificio capti, interierunt.

Publicae utilitatis studiosus.

Verum enimvero, ut ad vocabuli vestri interpretationem uberius explanandam, publicae utilitatis studium commendaturus transeam, illis ipsis auctoribus populi salus suprema lex erat. Nam haec est vera significatio, vis propria verbi, isque demum bene, atque sincera fide populo consulturus esse putandus est, qui suas rationes reipublicae commodis omnino postponere didicit. Ad quod declarandum unius tantum legislatoris virtutem vobis in memoriam revocabo. Neque enim permultorum exemplis opus est, nec vetustissimis antiquitatis fabulosae, Minois, Rhadamanthi, Aeaci, quorum judicia, decernendis inferorum causis aptiora, ad Manes descenderunt. Sed ejus nomen adhuc debeo, de cujus praeceptis bona pars ex Graecia trans mare in duodecim Romanorum tabulas, et ex his post longum temporis intervallum, Justiniano jubente, in corpus juris civilis, atque inde in recentiorum juris prudentiam migrasse perhibetur, Solonis. Ille eximio reipublicae amore ductus, quum Athenienses Salamina, ipsis a Megarensibus ereptam, diu necquicquam armis tentassent, et defatigati mortis poenam lege sanxissent, si quis hujus belli denuo suscipiendi mentionem faceret: tamen hanc provinciam civitati fore utilissimam ratus, simulata dementia, cum maximo vitae periculo, rogationem de recuperanda Salamine et suasit et pertulit, duxque hujus expeditionis factus, civibus suis insulam restituit, posteris adhuc temporibus validum adversus barbaros munimentum, iisdemque perpetuum dolorem, et ad nostram usque memoriam miseris Atticis, undique crudeliter vexatis, ultimum perfugium. Talis vir merito dignus existimatus est, qui leges ferret Atheniensibus. Neque spes irrita fuit. Certus enim, supremam legem statuendam esse populi salutem, extemplo fortiter foeneratorum obstitit avaritiae, potentiamque optimatum et plebis insolentiam compescendo utrosque inter se conciliavit,

et quo felicitati omnium prospiceretur, ipse quum imperio potiundi opportunitatem et divitias, tum otium vitaeque jucunditatem nihil moratus est. Quaenam vero vobis suprema lex fuit? pecunia. Sed jam vos ipsi, laude digni, hunc morem improbastis. Utinam haec vobis mens infixa maneat, ut statuatis, multo potiora esse omnibus terrae divitiis. Annon meliora hic vobis quotidie praebentur? Nonne id saltem laboris praemium nobis contigerit, ut illis animi bonis facultates vanas, inanes, caducas, nec satis certo in crastinum duraturas, praeferre dediscatis? Spero, confido. Quodsi in posterum vos unquam pravo lucri studio deditos esse cognovero, mei non amplius eritis, licet summos honores adepturi sitis. Incertas autem esse opes humanas, quum alienas rerum vicissitudines spectantes, tum aerarii vestri conditionem intuentes, ipsi vel inviti largiemini.

Denique, unde vobis maximopere sunt auspicia capienda, sapientem oportet esse legislatorem. Solon unus e septem fuit. neque Athenienses quemquam, exiguis ingenii dotibus praeditum, vel leviore doctrina instructum, delecturi fuissent ad sua jura stabilienda, haud ita pridem experti, quanta reipublicae detrimenta legum inconsultus auctor inferre posset. Qui quum vel integerrimus, atque justissimus, et reipublicae utilitatis studiosissimus esset, consilio tamen carebat, ut imprudens leges, una quidem ex parte ferret probandas, ex altera vero, rebus parum diligenter circumspectis, perniciosissimas. Proclive ad errorem est genus mortalium. Fallitur innocentium opinio; mentes secum abripit coecus ardor, et luxuriantis saeculi aviditate adjutus deprimit, ut sua cum publicis permisceat. Etiam vos ipsi argumento estis, modo memineritis. Laudanda quidem cura est vestra, prohibentium, quo minus in auditorio mensae commaculentur. Sed obstupui, quum anno superiore unum e vobis viderem, mensam temerario gradu, cruribusque quam longissime divaricatis transgredientem, atque brachia sublata, ne caderet, librantem, utpote qui, interposita genibus mensa, in amborum pedum digitos erectus, simul utroque subsellio niteretur. Ille quidem sic aliquamdiu sublimis pendebat, in obliquae crucis Burgundicae figuram decussatus. Ego vero interea, retento spiritu, silendum mihi esse arbitrabar, ne metu aegre se levanti accedente, aliquid mali eveniret. Tum mihi quaerenti, quidnam rei esset, cur istud spectaculum ederet abominandum? nam si quid, quod deus averruncaret, gravius ei accideret, multos quidem ad eum curandum praesto futuros, sed qui unquam plane mederetur semel dirupto, venturum neminem. respondit ille: se obnoxios esse aerarii Quaestoribus. Quonam tandem crimine? si

Sapiens.

qui mensam, non inquinandam, vel uno pede attingerent. Cur non ab alterutro latere mearet? se utrinque prohiberi. Itaque aerario tam futili marsupiis inhiante, aut poena erat luenda, aut summum valetudinis discrimen subeundum. Nescio, quis hujus tituli fuerit inventor, vetuique mihi indicari, ne pessimi exempli Quaestura etiam majore cum indignatione ante oculos mihi obversaretur. Vobis autem gratias ago, quod meas, tunc nondum vestri moderatoris, rationes secuti, legem hanc turpem, resipiscentes ipsi sustulistis. Dulcissimi adolescentuli, quidque naturae convenienter instituendum est. Nec parvum in undis navigium, nec ulla domus, ulla civitas, quamvis munita et opulenta, bene potest gubernari, nisi legibus, naturae accommodatis, nec sapere quidquam est aliud, nisi legere vestigia naturae. In ea verissima lex, ipsa mens divina expressa est. Hac via veteres omnium gentium legislatores summam laudem sunt consecuti, iidemque quantum modestiae, tantum sapientiae documentum ediderunt, ingenue professi, se leges suas non excogitasse, sed accepisse ab ipsis diis immortalibus. Multo quoque efficacior, quam propria solertia et eloquentia, haec erat pronuntiata divinae originis auctoritas, non solum ad ipsorum constitutiones firmandas, sed etiam ad rogationes perversorum hominum a concionibus removendas, quos ut arcerent, nihil inexpertum reliquerunt. Quid, quod Zaleucus Locrensibus praescripsit, ne quis novam ad populum ferret rogationem, nisi collo in laqueum inserto, quo, si lex esset rejicienda, illico strangularetur. Crudele quidem, et a nostra humanitate alienum. Sed cavere vir volebat peritissimus, ne quod stultum, vel ineptum, vel pravum, vel periculosum multitudini persuaderetur, et certe hac conditione nemo non prudentior, et modestior, et temperantior, magisque sobrius futurus fuisse credendus est. Nam ex vobis ipsis quaero, quidnam ei fuisse eventurum existimetis, qui apud Locrenses vestrae, de mensa, uno passu, ultra naturae modum immani, transgredienda legis auctor, cum isto gutturis elidendi apparatu in populi concionem prodiisset?

En habetis, quae requirantur, ut sit aliquis legislator idoneus. Jam enim ad finem orationis properandum est. Agedum explorate, quales ipsi sitis, omnibusque probe consideratis, operi de integro incumbite, et commilitones commilitonibus novas ferte leges. Egomet breve adhuc unius tabulae specimen, quod vestro nomine, vobisque imitandum adumbravi, praelegam, audiatis.

Deum cuncta videntem ante oculos habento. Parentibus, assidua cura ad literas adhibita, pro summis beneficiis gratos se praebento. Honestiorum civium favorem sibi concilianto. Mores castos servanto, atque ingenua humanitate conspicui sunto. Exempla deteriora ne sequuntor. In ignaviam delapsos, vel propter feritatem invisos, vel pravis libidinibus pollutos ne imitantor. Pudoris, probitatis, industriae atque eruditionis laude insignes intenta opera aemulantor; seque invicem hortantor. In posterum providento. Ast pecuniae et lucri studium a Musarum liminibus quam longissime abesto. Sanitatem mentis atque corporis incolumitatem quam vigilantissime tuentor. Satis ad discendum parati et instructi maturo tempore scholas frequentanto, iisque intento ad docentis sermonem animo intersunto, remotoque garrulitatis et nugarum strepitu rite sedati; suoque loco cuncti sedento, nec nisi necessitate cogente domi remanento. Si quis secus fecerit, opprobrium esto. Publicis et scholae et patriae legibus parento, neu quis rogationem illis contrariam scribito. Ast aequa jura omnibus sunto, neve quisquam inferioribus iniquus esto, neve imbecilliorem laedito. Quod quis harum rerum migraverit, ignominia esto. Verae virtutis studiosi et sinceri sunto. Alienas laudes sibi ne asserunto. Specimina literaria sine fraude exhibento, neve ex aliorum operibus pro suo quidquam exscribunto. Qui sublato aliunde ornatu superbiens nimium confisos deceperit, dedecus esto. Bonam gymnasii famam pro virili usque augento. De artium liberalium palma amice inter se certanto, modestique sunto, et pio animo praeceptoribus suis obtemperanto.

Tabula legum domestica.

Hunc in modum scribite. Nam si quis tales, aut earum similes rogationes tulerit, egomet ipse, ut perferantur, suasor atque defensor ero, fidemque do, neminem esse rursus leges vestras abrogaturum, easque in perpetuum ratas, sanctasque permansuras.

3 0112 105479239